Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 195
Quelle:
Copyright:

Rex Medorum &c. *Quidam quęrendum putant* &c. Integer eſt, ut in editis, et fertilis bonae lectionis.

Succedit ei *fol.* 167. p. 2. *Commentarius in Librum Eſther* praenotatus rubro: *Incipit Prologus in librum Heſter. reginę.* Prologus hic ad Reginam anonymam, quam ſupra *Juditham* eſſe vidimus, habetur etiam in edit. *Colon.* T. III. p. 279. uti et *Capitum Index.* Opus ipſum minio nobis inſcriptum eſt: *Incipit liber Heſter que myſticat eccleſiam. reiecta ſynagoga.* Integrum eſt et ipſum, multumque ad emendanda edita conferre poteſt. Ita, ut aliqua delibem, in *Prologo* legit Colon. *obelo prænotata*, Noſter, *ab ipſo interprete obelo praenotata.* Colon. *ad liberandas*, Noſter, *ad releuandas calamitates.* C. I. Colon. *Ezram et Mennam*, Noſter, *Ezram et Neemiam.* Colon. *hunc Aſſuerum eſſe Artaxerxem vocatum; regnauit quoque* &c. Noſter, *hunc aſſuerum eſſe Artaxerſem qui cognominatus eſt memnon darii et pariſatidis filium. hic ab hebreis aſſuerus. et a LXX. interpretibus artaxerſes uocatur. regnauit quoque* &c.

IV. *fol.* 184. rubro *Incipit expoſitio uenerabilis bede presbiteri in librum tobie.* Initium litera quadrata: *Liber Sancti Patris Noſtri Tobię. et in ſuperficie litterę ſalubris patet legentibus* &c. Finis: *Credo uidere bona domini in terra viventium. Explicit expoſitio libri Sancti Tobię.* Extat T. IV. *Opp. edit. Colon.* 1688. *col.* 347. f.

In hoc Codice ad *fol.* 139. plures olim *Notae chronologicae* legebantur, quae nunc omnes amputatae ſunt, relicta hac unica integra: *Anno domini Mill. CC°. XXX°. I°. iubente clam inperatore friderico. occiſus eſt Ludewicus. dux bawarie. ab ignota perſona cultello transuerberatus.* Factum id 15. *Nov.* in ponte *Kelheimenſi. Henricum* filium Regem Rom. commendaverat Imperator *Ludovico*, qui cum in Patrem inſurgeret, conſilii particeps habitus fuit *Ludovicus.*

LXXIX. IX. F. 19

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 263. 4. nitide ſcriptus, flavoque colore pernotatus eſt Expoſitio Libri *Job* compendiaria, cujus Prologus incipit: *Inter multos ſepe queritur, quis libri beati iob ſcriptor habeatur. Sed hoc ſuperuacue queritur, cum auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur* &c. Et ipſum Opus: *Vir erat in terra hus nomine iob. Job dolens et hus conſiliator dicitur* &c. Definit: *et erga futura ſpes. et erga preterita fides ligat.* Autorem ignotum *Gregorii M. Moralia in Job* defloraſſe, in propatulo eſt. Commentarium hunc *fol.* 243. ipſe Liber *Job* excipit. Ad cujus calcem: *Amen. Explicit liber Job.* 504

LXXX.